50

ut qui de regia stirpe descenditis. nunc et longius claritate amali sanguinis fulge-
atis. Mittimus ad uos ornatum aulice domus. augmenta generis solatia. fidelis consi-
lii dulcedinem. suauissima coniugalem. que et dominatum uobiscum iure compleat. et na-
cionem uestram meliore institucione componat. Habebit felix thoringia quod
nutriuit italia. litteris doctam. moribus eruditam. decoram non solum genere quantum et
feminea dignitate. ut non minus patria uestra istius splendeat moribus. quam su-
is triumphis. Atque ideo salutantes gratia competenti. indicamus nos uenientibus le-
gatis uestris inpreciabiles equos rei secundum morem gentium suscepisse. precia destinata. equos
argenteo colore uestitos. quales decuit esse nuptiales. quorum pectora uel crura
speris carneis decenter ornantur. coste in quandam latitudinem porriguntur. aluus
in breuitate constringitur. caput ceruinam reddit effigiem. imitantes uelocitatem quam
uidentur habere similitudinem. Hi sunt sub pinguedine nimia mansueti.
magna mole celerrimi. aspectibus iocundi. usibus gratiores. Incedunt enim
molliter. sessores insanis festinationibus non fatigant. quiescitur in ipsis potius quam la-
boretur. et compositi delectabili moderatione. agilitate nobiliter continua perdura-
re. Verum hec quamuis nobilissimum genere beluarum moueret. uel alia quod ducere
istis ex omnia uicta cognoscetis. quando omnia iure superat. quod decus regie potesta-
tis exornat. Destinauimus et nos quidem quod principalis ordo poscebat. sed ni-
chil maius persoluimus. quam quod uos tante femine decore copulauimus. Adsint
uestro diuina coniugio. ut sicut nos causa iunxit affectionis. ita et posteros
nostros obliget gratia parentalis. Regi Erulorum. Theodericus Rex.

Per arma fieri posse filium grande inter gentes constat esse preconium. quia non
est dignus adoptari nisi qui fortissimus meretur agnosci. In sobole fre-
quenter fallimur. ignaui autem esse nesciunt quos iudicia pepererunt. Hi enim gratiam
non de natura sed solis meritis habent. quando in uinclo animi obligantur extranei. et tanta in hoc
actu uis est. ut prius se uelint mori. quam aliquid asperum patribus uideant infligi.
Et ideo more gentium et condicione uirili filium presenti munere procreamus. ut
competenter per arma nascaris. qui bellicosus esse dinosceris. Damus quidem tibi equos. enses.
clipeos. et reliqua instrumenta bellorum. sed que sunt omnimodis fortiora. largimur
tibi nostra iudicia. Summus enim inter gentes esse crederis. qui theoderici sententia comprobaris.
Sume itaque arma. mihi tibique profutura. Ille a te deuotionem petit. qui te mag-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_273/0103